



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio LV. De perfectione divinarum Relationum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

Respondetur dictum illud, *superius includitur in inferiore*, solum intelligi de superiore logicè, genere exempli causâ respectu speciei, utpote in qua ut pers illius essentialis, includitur, animal scilicet in homine, leone, equo, &c. unde clarum est nullam ex his speciebus sine animali concipi posse, cum concipi nequeat sine suâ essentia. Aliud est de Essentiâ Divinâ, quæ tantum est quid commune per realem identitatem: hoc autem non sufficit ad inclusionem secundum rationem, seu in conceptu essentiali; alioqui Relationes non minus erunt de conceptu Essentiæ, quàm hæc de conceptu Relationum, quod negat Pater Suarez, ut vidimus, & alii hujus sententiæ Auctores.

Ad do, licet Essentiâ esset quid propriè, seu logicè superius, non tamen foret de conceptu essentiali Relationum, sed tantum Personarum;

Realis identitatio non sufficit ad inclusionem formalem.

VII. Ostenditur ulterius Essentialiam non

ficut animal non est de conceptu rationalis, aut hinnibilis, sed tantum specierum, hominis, leonis, &c.

Hinc solvitur quod ex S. Thoma hic, q. 33. art. 3. ad primum afferunt nonnulli, ubi dicit Sanctus Doctor, *Communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri, sunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è converso: in intellectu enim Personæ Patris intelligitur Deus, sed non convertitur*. Hoc, inquam, non urget, solum enim ait Deitatem includi in Personâ, seu concreto: non omnino autem loquitur de Relationibus, nec in iis asserit includi Essentiam: Unde hoc ejus dictum nihil contra nos facit, sed tantum confirmat doctrinam à nobis præcedente numero stabilitam.

VIII. Respondetur ad auctorem citatum (sancti Thomæ).

DISPUTATIO LV.

De Perfectione Divinarum Relationum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Relationes Divinæ dicant perfectionem.

I. Prima sententia negat Relationes dicere perfectionem.



PRIMA sententia est negativa: ita Scotus quodlib. 5. Durandus in 3. dist. 1. q. 3. Molina hic, q. 42. a. 6. d. 2. Cajetanus hic, q. 28. art. 2. Richardus in 1. dist. 24. art. 1. q. 3. Capreolus dist. 7. q. 1. art. 2. & alii. Fundamenta hujus sententiæ ponuntur postea.

II. Secunda sententia affirmat Relationes divinas dicere perfectionem: ita Gabriel in 1. dist. 7. q. 3. art. 3. Suarez lib. 3. de Trin. cap. 9. Arrubal hic, disp. 107. Valentia 1. p. disp. 2. q. 4. punct. 1. Vasquez hic, disp. 122. cap. 2. Granada hic, tract. 3. disp. 5. sect. 2. num. 10. Tannerus 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 4. num. 5. Arriaga hic, d. 49. sect. 3. & alii.

III. Quæstio est de Relationibus ut mente præcisè ab Essentiâ.

Notandum quæstionem hic esse de Relationibus, prout ratione nostrâ distinguuntur ab Essentiâ, & concipiuntur ut præcisæ: eas enim, ut idem sunt cum Essentiâ, includere perfectionem nulli dubium esse potest, cum ut sic consideratæ habeant perfectionem Essentiæ: hanc autem summè esse perfectam est extra controversiam.

IV. Relationes proprias sibi habens perfectionem.

Existimo itaque cum Auctoribus secundæ sententiæ, Relationes divinas, etiam ut præcisæ ab Essentiâ, propriam sibi & peculiarem habere perfectionem. Ratio est primò: Deus non tantum in Essentiâ divinâ, sed in Personis quâ talibus complacet; in Patre scilicet ut Pater est, & prout distinguitur à Filio, & in utroque ut distinguuntur à Spiritu Sancto: ergo in illis ut distinctis invenit bonitatem, seu, quod perinde est, perfectionem: sed Personæ à se invicem distinguuntur per Relationes, sicut sunt unum per Essentiam: ergo Relationes dicunt perfectionem. Confirmatur: Trinitas quâ Trinitas est maxima Dei perfectio, & id quod illius excellentiam maximè declarat, sed Trinitas constituitur formalissimè per Relationes; ergo dicunt perfectionem.

Trinitas, quâ Trinitas est maxima Dei perfectio.

Secundò probatur: Relationes quippe ut tales sunt entia, ergo habent bonitatem, seu perfectionem, bonum enim est passio entis. Tertiò, nam ut rectè P. Suarez citatus, Relationes sunt substantiæ naturæ divinæ, eamque reddunt completam & perfectam: sed hæc est vera perfectio: ergo.

Quæres primò: utrum perfectio Relationis sit infinita. Respondetur affirmativè: tum quia habet quilibet omnem perfectionem in suo genere excogitabilem, estque essentialiter aeterna, immensa &c. tum quia identificatur cum Essentiâ, estque realiter Deus: quod autem est realiter Deus, necesse est sit quid infinitum.

Quæres secundò: an Relatio divina sit perfectio simpliciter simplex. Hanc quæstionem in utramque partem disputavi supra, Disp. 6. sect. 1. num. 7. & 8. ubi utriusque sententiæ fundamenta proposui: stando tamen in definitione perfectionis simpliciter simplicis, à S. Anselmo traditâ, & à Theologis communiter receptâ, illam scilicet esse perfectionem simpliciter simplicem, *que in qualibet melior est ipsa, quam non ipsa* stando, inquam, huic definitioni, existimo cum P. Suarez hic, lib. 3. cap. 10. num. 4. Arrubal, Zumiga, & Tannero hic disp. 4. q. 3. dub. 4. num. 8. Relationem divinam, quamvis, ut dixi, sit infinite perfecta, non tamen esse perfectionem simpliciter simplicem, cum nulla Relatio in quolibet reperitur aut reperiri possit: ergo ipsa non est melior, quàm non ipsa in quolibet.

Ut verò hoc melius intelligatur, notandum cum eodem Suarez, duplici ex capite provenire posse, ut aliquid non sit perfectio simpliciter simplex, juxta illam Divi Anselmi definitionem: primò quòd aliquid imperfectionis sibi habeat admixtum; certissimum autem est nihil in Deo à ratione perfectionis simpliciter simplicis hoc titulo excludi posse, cum nihil in eo sit, quod vel minimam in se imperfectionem contineat. Secundò hoc contingit ex oppositione; sic enim duæ Relationes divinæ, Paternitas nimirum & Filiatio, eidem Personæ convenire nequeunt, ac propterea non sunt perfectiones simpliciter simplices.

V. Relationes sunt entia; ergo habent perfectionem.

VI. Perfectio Relationis est infinita.

VII. Sicut Relatio in se ipsa perfectio simpliciter simplex.

VIII. Declaratur cur dicatur Relatio non si perfectio simpliciter simplex.

Duplici ratione quædam ratio perfectionis simpliciter simplicis excluditur.

Prædicata

Prædicata verò absoluta sunt perfectiones simpliciter simplices, quia non opponuntur, sed in omnibus tribus Personis reperiuntur; ac proinde unaquæque ex illis melior est ipsa, quam non ipsa in quolibet.

SECTIO SECUNDA.

An divinae Relationes sint tres perfectiones.

I. Prima sententia est negationem.

NEGANT multi: Vasquez 1. p. disp. 122. cap. 6. Granado hic, tract. 3. disp. 5. lect. 2. num. 15. & alii. Granado tamen rem hanc deducere videtur ad modum loquendi: admittit enim Relationes esse tres perfectiones partiales, & ex omnibus unam constitui integritatem, seu perfectionem totalem.

II. Relationes divinae sunt tres perfectiones.

Secunda, & probabilior sententia affirmat, Relationes divinae esse tres perfectiones: ita Suarez lib. 3. de Trin. cap. 9. Tannerus 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 4. n. 6. Arriaga hic, disp. 49. lect. 3. num. 11. Arrubal disp. 105. Zuniga disp. 5. dub. 12. Alarcon disp. 3. cap. 3. & plurimi ex recentioribus.

III. Singula sua habent entitatem, ergo & bonitatem.

Probat: bonum liquidem & ens convertuntur, ut sectione præcedente diximus, num. 5. sed Relationes secundum omnes multiplicuntur, & quæque suam habent entitatem: ergo & bonitatem, seu perfectionem, utpote quæ ab ente est inseparabilis. Cum ergo P. Vasquez Disp. illa 122. cap. 2. impugnant Scotum, Durandum, & alios, affirmet Relationem, ut mente præcisam ab Essentia, dicere perfectionem, fateri necessariò debet tres Relationes, hoc modo præcisas, esse tres perfectiones.

IV. Non obstat hæc tres perfectiones ad unam constituendam consuetudinem.

Nec vim hujus argumenti effugeret, qui cum Granado citatò diceret has tres perfectiones ad unam integram perfectionem constituendam coallescere; hoc enim non impedit, quo minus verè ac reliter sint tres, non minus quam sunt tres Relationes, atque eo modo, & inter se & à perfectione essentiali distinctæ, quo Relationes inter se & ab Essentia distinguuntur.

V. Tres in Deo statuerentur perfectiones, sed una.

Objicit Vasquez primò, hunc loquendi modum esse contra sanctos Patres, qui nunquam dicunt esse in Deo tres perfectiones, sed unam. Sed, ut rectè advertit Suarez citatus, num. 20. quamvis hoc Patres expressè non dicant, non tamen contradicunt, & hoc ex eorum, imò fidei principiis, tres in Deo Relationes statuentis, aperte deducitur, ut vidimus. Deinde S. Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 11. ait *Patrem & Filium distinguat perfectionibus personalibus*. Cum ergo dicat S. Damascenus esse in Deo perfectiones personales, quibus Persona distinguuntur, plures in eo ponit, easque relativas, Personæ liquidem Relationibus distinguuntur, utpote quibus sibi invicem opponuntur. Patres verò, dum unam aiunt in Deo esse bonitatem, loquuntur de bonitate essentiali.

S. Damascenus.

VI. Objicit, sequitur esse perfectionem.

Objicit secundò: Si Relationes sint tres perfectiones, est aliqua perfectio in Patre, quæ non sit in Filio, & e contra: Paternitas enim non est

in Filio. Sed contra: nam secundum ipsum, ut vidimus, Paternitas ut distincta ab Essentia, est perfectio: ergo etiam juxta illum est aliqua perfectio, saltem partialis, in Patre, quæ non sit in Filio, cum Paternitas, ut ipse fatetur, non sit in Filio. Si quidem cum Molinà supra citato, & aliis, qui hoc idem argumentum proponunt, diceret Relationem, ut concipitur præcisam ab Essentia, non dicere perfectionem, non urgetur hac replicâ: ipsi enim hoc dicendo facile solvunt, quomodo nulla sit perfectio in unâ Personâ, quæ non sit in aliâ.

aliquam in unâ Personâ, quæ non sit in aliâ.

Concedendo itaque Relationes esse tres perfectiones, ad argumentum respondeo, distinguendo antecedens: Est in unâ Personâ perfectio aliqua relativa, & non simpliciter simplex, quæ non est formaliter in aliâ, concedo antecedens: quæ non est æquivalenter, seu eminenter & virtualiter in aliâ, ratione scilicet Essentiæ, quæ eas eminenter continet, estque illarum radix & fundamentum, nego.

VII. Nulla perfectio est in unâ Personâ, quæ non sit in aliâ.

Dices: ergo nulla una Persona est simpliciter perfecta. Confirmatur: saltem non est æquè perfecta ac duæ vel tres. Ad argumentum negatur sequela: Ut enim Persona sit simpliciter perfecta, aliud non requiritur, quam ut omnem perfectionem simpliciter simplicem contineat formaliter, reliquas verò eminenter, quod, ut diximus, quævis Persona facit ratione Essentiæ, in unaquaque inclusæ. Et eodem modo respondetur ad Confirmationem: quævis namque Persona ratione inclusionis formalis omnium perfectionum simpliciter simplicium, & eminentialis inclusionis aliarum, est æquè perfecta intensivè ac omnes tres, quamvis non extensivè; sicut Deus ex æquè perfectus intensivè ac Deus & creaturæ, licet non sit tam perfectus extensivè.

VIII. Una Persona est æquè perfecta ac quæ omnes tres.

Neque ex eo quòd Relationes differant specie, sequitur eas esse in perfectione inæquales. Disputatione enim 5. de Animâ, lect. 1. ostendi diversitatem specificam non semper arguere inæqualitatem, sed res duas specie distinctas, esse posse in perfectione æquales. De æqualitate tamen Personarum dicetur infra.

IX. Diversitas specifica non arguit inæqualitatem in Relationibus.

Objicit tertio, si sint tres perfectiones: ergo & tres ubicationes, & durationes infinite. In primis hæc consequentia nulla est: in creatis enim videmus res ut plurimum ubicari & durare per ubicationem & durationem distinctam. Unde multi, qui concedunt esse tria entia, & tres perfectiones relativas, negant esse tres ubicationes, aut durationes, sed Relationes durare & ubicari dicunt per durationem & ubicationem Essentiæ; res enim esse nequit ens, aut bonum transcendentaliter per aliquid distinctum, sicut potest ubicari & durare.

X. Objicit, sequitur esse in Relationibus tres ubicationes & durationes.

Nihilominus cum Relationes divinæ non sint indifferentes ad hunc vel illum locum aut tempus, existimo eas ubicari & durare formaliter per se ipsas, sicque esse tres durationes & ubicationes relativas. Non tamen dici absolutè debet esse in Deo quatuor, aut etiam tres aternitates vel immensitates: hæ enim voces sic prolata significant durationem, & ubicationem absolutam.

Differentia inter perfectionem, & durationem.

XI. Sicut tres durationes & ubicationes relative.